

89.

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis, decimâ-nonâ Aprilis, Anno M. DCC. XLII.

M. JOANNE-BAPTISTA DUBOIS, Profeſſore Regio, Doctore Medico, Præſide.

An curtæ nares ex brachio reficiendæ?

I.



UMANI corporis humores coge, dilue: motus eorum excita, compeſce: fibras tende, laxa, ſtimula, demulce. Cerebrum ſternutatoriis, ſtomachum vomitoriis, purgantibus alvum ſollicita. Urinam, ſudorem, ſputa, menſes move. Remediis mille ſpecificis utere. Abundè, parcè nutri. Cæde venas lanceolâ, hirudinibus emunge. Cucurbitulis, emplaſtris cutem in veſicas attolle. Diſſolutione, ſuppuratione, reſectione, tumorem dele. Vulnus claude; ulcus deterge: luxata reſtitue; fracta compone. Sarci, ſue, liga, unge, frica, punge, ure, ſeca. Quodcunque iſtorum egeris, puta demptum aliquid, vel additum corpori. Deſunt in eo multa, redundant plura. Hinc & indè ſcatebra morborum. *(a)* Adjice, detrahe, in utroque modum ſerva; Medicus es. Cùmque in his duobus verſentur ſalutaris artis illæ partes, quæ medicamentis & victu proſpiciunt valetudini; tùm maximè pars ea, quæ manu curat. Quocircà mirum eſt in eo conſentire pleroſque de Chirurgiâ Scriptores, ut à generali diviſione Chirurgicarum operationum exulet πρόσθεσις, quæ totius Chirurgiæ dimidium eſt. Quin & altera dimidia pars ἐξαίρεσις, vel ἀφαίρεσις, quaſi novatoribus patrocinante ſpretæ ſororis exemplo, jamjam proſcribitur, lege quidem eò moleſtiori, quò recentior eſt *(b)* Legiſlatoris auctoritas. Quid ergo ſupereſt? Σύνθεσις & διαίρεσις, ad quas placet ἐξαίρεσιν & πρόσθεσιν, miniſtrarum nomine, revocari. At ſi tantum compendiariæ methodi ſtudium eſt, quidni potiùs, famularum titulo, σύνθεσις & διαίρεσις ad ἐξαίρεσιν & πρόσθεσιν, tanquam ad magiſtras referantur? His quippe illæ ſubſerviunt, venuſtum, utilem, neceſſarium nexum addendo; indecorum, noxium, lethalem auferendo. Obiter hæc; properemus ad metam. Curtorum incommoda medicam poſtulant atque admittunt manum. Crus ex ligno, ex argento manus, oculus

(a) Ad mentem *Hippocratis*, lib. de Flat. (b) Vid. *Junck.* Conſp Chir. tab. I.

ex vitro, ex ebore dentes concinnantur, atque adalligantur. Verùm illa partium naturalium simulachra communi cum corpore vitâ minimè fruuntur. Magis favet curtis naribus ars Chirurgica. Eas non ex ligno, non ex metallo, sed ex vivaci substantiâ reficere aggreditur. Illam operationem memoraverunt permulti, nonnulli parùm accuratè descripserunt, vel coluerunt, (c) quòd, inquiunt, illius celebrandæ rarissima sit occasio. At morbis, ut ut raris, providere Medicorum est. Insuper non ita rara est illa nasi calamitas.

(d) *Non cuicunque datum est habere nasum.*

Ludit antiquus Poeta. Ludit & recentior, in allegorico suo poemate, (e) ubi canit *Syphilidis* originem, fingitque omnium amantium nasos à jaculante Cupidine truncari. Non ludit (f) Plinius, ubi refert quasdam Æthiopiæ gentes esse sine naribus, *æqua i totius oris pla icie*. Quorsùm verò monstra proferimus? Medicinam plerumque respuunt. At monstra non fuerunt (g) *Rhinocoluræ* cives; non (h) Scotiæ, non (i) Antiochiæ (k) Vestales. Quot illis temporibus restituendi nasi! Quis asseret simile quid nunquam eventurum? Habent suas & nostra secula virgines, castitatis florem, nasi pretio, redimere paratas. Absit ut cruenta ominemur. Sed quidquid nobis paret ordo futurorum, succurrendi perficiamus artem. Quis tam obesæ naris est, ut ad extremam usque vitæ lineam, ficulneum buxeum-ve ferre velit nasum, quotidie & sibi probrosum, & ludicrum spectantibus? Quis è contrario nasutissimum eum non dicat, qui, ut testantur (l) *Pareus* & (m) *Vigiertus*, nasi argentei diu circumgesti pertæsus, meliorem tandem, è brachio suo traducem, inseri sibi, prosperrimo cum successu, passus est? Procul ab humano vultu pondus iners & inhonestum. Utiliores ac decentiores à brachio mutuari possumus nares. Longum opus & arduum. Quid indè?

(n) *Ardua molimur; sed nulla, nisi ardua, virtus.*

An transigendus, absque Medicinæ studio, vitæ curriculus, quòd sit (o) *vita brevis, ars longa?* Quòd sit (p) *judicium difficile*, an relinquenda scientia signorum? Magna similiter & aspera difficultatibus operatio, quâ narium insitio peragitur: non ideò negligenda: immò alacriùs exquirenda, si felicem ejus exitum ratio, experientia auctoritatesque gravissimæ pollicentur.

(c) *Gourmel*. l. 1. Chir.

(d) Matt. l. 1. Epigr. 42.

(e) Vid. *Vatler*, ann. 1710, mens. Dec. Ibidem Cupido fingitur, ob eam nequitiam, à Parentibus in Mercurii Scholam missus. Ab eâdem fictione *Corregius* elegantissimæ sumpsit argumentum tabulæ, quâ Mercurius Amoris præceptor exhibetur. Italicè scriptum istud Poema tribuitur *Fracastorio*; forsan quòd Latino carmine *Syphilida* tam egregiè cecinerit. Cùm verò simul vixerint (saltem triginta annos) Pictor & Medicus-Poeta, uter fabulæ sit inventor incertum est. Nam

Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

(f) Nat. hist. l. 6. c. 30.

(g) *Rhinocoluram* scribunt Seneca & Plinius, itidemque *Strabo* Ρινοκόλουρα, quanquam *Diodorus* Siculus Ρινοκόρουρα

Actisanes, Æthiopiæ Rex, hanc Urbem, in Ægypti & Syriæ confinio ædificavit, in eamque misit seditiosam, quam subegerat, multitudinem. Noluit ex eâ quemquam morte mulctari, sed nares omnibus curtari jussit, unde nomen Urbi. Vid. *Diod.* Sic. l. 1. *Strab.* l. 16. Eandem refert historiam *Alexander ab Alex.* genial. dier. l. 3. c. 5. eique alteram similem subjungit, de quodam Rege Persarum, quam procul dubio à Senecâ mutuatus est. Sed minùs consultè geminat narrationem. Quod enim de hoc argumento scripsit Seneca, l. 3. de Irâ, c. 20, tribuendum est *Actisani*, quem putavit Romanus Philosophus non Æthiopum, sed Persarum Regem fuisse.

(h) An. 870. in Scotiam Dani victores irruperunt. Furoris pariter & libidinis impotentes, nec sexui, nec ætati parcebant: pueris ac senibus necem, stuprum virginibus inferebant. Quibus territa flagitiis *Abbatissa Collinghammensis monasterii*, postquam ad sui imitationem sorores suas, ferventi oratione, compulisset, arreptâ novaculâ, nasum sibi strenuè præcidit, ut horrendo spectaculo effrenatæ cupiditatis æstum reprimeret; statimque tota domûs familia ducis heroicæ vestigia sequuta est. Vid. *Baron.* Annal. Eccl. To. 10. ad an. 870.

(i) Similis prorsùs tragœdiæ theatrum fuisse *Antiochenum* quoddam *cœnobium* refert *Bzovius*, Annal. Eccl. To. 13. ad an. 1268.

(k) Sic eas ipse *Bzovius* apellat.

(l) l. 23. c. 2.

(m) Chir. magn. l. 2. c. 20.

(n) Ovid. Art. am. 2.

(o) *Hipp.* Aph. 1.

(p) Ibid.

II.

PULCHRITUDO, (a) temporis modici tyrannis. Rara est, & solo forsan (b) *Alcibiade* nota, quæ diversarum ætatum injurias eludit.

(c) *Forma bonum fragile est, quantùmque accedit ad annos,*
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.

Illud tamen naturæ donum, ut ut fugax & caducum, tanti semper homines fecerunt, ut vix quidquam optabilius atque amabilius esse putaverint. Sapientiæ ac majestati palmam præripuit, viro judice, venustas. Tegit fictio veritatem. Nec tamen autumet quispiam soli Veneris pulchritudini litare hominum genus. Sprevit omnis ævi Sardanapalos, femineæ studentes elegantiæ; sed genuinum formæ decus, ubicunque esset, laude semper, admiratione, amore, veneratione, omni studio, omni cultu prosequutum est. Quid causæ? Interrogentur duo Philosophiæ Principes; rationem (d) unus proferet, à quæstione vix dissimilem. Respondebit

(a) Dictum *Socratis*, ex *Laert.* in *Aristot.* vit.

(b) *Plutarc. Alcib.* vit. *Plat.* Dial. *Protag.*

(c) Ovid. l. cit.

(d) *Pulchrum amatur, quia apparet molle quiddam, lene & lubricum, ideòque in nos facilè forte illabitur, serpit & penetrat. Plat.* Dial. *Lysid.*

(*e*) alter: cæci esse interrogationem. Notus est (*f*) ordo bonorum, in conviviis, *Platonis* tempore, decantatus. Primum tenet locum sanitas; secundum pulchritudo. Quin & hanc illi plerumque anteponi statuit (*g*) *Laurembergius*, hujusque præcellentiæ fusè rationes exponit. Sic ea conciliemus: ex Oratore Philosopho, (*h*) *venustas & pulchritudo corporis secerni non potest à valetudine.* An Tullio præstat in rebus medicis *Fallopius?* Non aliter is (*i*) pronuntiavit. Indè tot (*k*) Medicorum de decoratione scripta prodierunt. Sed formæ præstantiam nihil magis commendat, quam sententia *Sinibaldi:* (*l*) *pulchro in corpore pulcher animus.* Mirum quot hujus consortii specimina (*m*) recenseantur. Adversari videtur *Socrates*, (*n*) non quidem opinione, sed ipso corpore, virtutum domicilio (*o*) parum eleganti. (*p*) Revera tamen favet potiùs. Notum erat procul dubio istud virtutis venustatisque sodalitium iis gentibus, quæ formâ præcellentibus & (*q*) gubernanda regna & (*r*) administranda sacra deferebant. Nec longè ab eo more nos ipsi deflectimus, apud quos ad sacerdotium promovere neminem licet, (*s*) nisi qui non animi tantùm, sed corporis etiam quâcunque labe notabili careat. Huc pertinet educatio (*t*) Regiorum infantium, apud veteres Persas. Jam verò (*u*) faciem esse præcipuam sedem pulchritudinis nusquam ambigitur. (*x*) *Homo totus est in capite vultuque.* (*y*) Hinc tantæ magnatum quorumdam impensæ, ad curandas faciei fœditates. (*z*) Hinc illa lex optima Constantini, quâ vultûs incolumitati consulitur. Hinc Poeta factam esse canit, inter primos homines, Magistratuum agrorumque distributionem,

> (*aa*) *Pro facie cujusque & viribus ingenioque;*
> *Nam facies multùm valuit.*

Denique ut facies in corpore maximè spectabilis est, ita nasus præcipuum faciei ornamentum; eoque secto, vel mutilo, vel aliâ quacunque ratione graviter offenso, omnium deformitatum induci maximam apud omnes in confesso est (*bb*). Reliquarum partium pulchritudinem cum indecoro naso floccipendit formæ (*cc*) callidissimus æstimator. (*dd*) Supremæ dominationis possessores, usurpatores, administri jubebant naribus truncari quoscunque capessendo regno impares ineptosque reddere volebant. Non defuere Legislatores qui suæ in nasum reverentiæ specimen dederint, (*ee*) sanciendo ut orbaretur oculo, qui unius esset furti convictus; qui

(*e*) *Aristoteles*, referente *Laertio*, in ejus vitâ.

(*f*) *Sanitas omnium rerum optima: 2°. Egregia forma: 3°. Divitiæ absque dolo quæsitæ. Plat.* Dial. Gorg.

(*g*) Pasicompf. c. 34.

(*h*) Cic Off. l. 1.

(*i*) Lib. de Decorat. c. 1. ubi enixè probat pulchritudinem à robore, habitu & sanitate separari non posse, illiusque ideò conservationem & reparationem ad Medicos pertinere.

(*k*) *Cleopatræ, Trotulæ, Critonis, Aetii, Rhasis, Avicennæ, Villanov. Mercurial. Rondelet. Forest. Varignanæ, Zimaræ, Besardi, Lauremb. &c.* Immò, si *Fallopio* fides, *non est Medicus qui loquutus sit de locis affectis, qui non dixerit aliquid, quod pertinet ad pulchritudinem.* lib. cit. c. 4.

(*l*) *Sinib.* geneanth. l. 2. tr. 1. c. 10.

(*m*) Vid. *Lauremb.* lib. cit. c. 2.

(*n*) Ideò enim formosos ad Philosophiæ studium, præ cæteris, admittebat, quòd eos etiam ingenio ac virtutibus præpollere judicaret. *Maxim. Tyr.* Serm. 11.

(*o*) *Plat.* dialog. *Theæt.* & aliis passim locis, quæ colligit Marcil. *Ficin.* comm. in conv. *Plat.* orat. 7. c. 2.

(*p*) Sic Tullius lib. de Fat. *Socratem nonne legimus quemadmodum notarit Zopyrus Physiognomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? Stupidum esse Socratem dixit & bardum..... Addidit etiam mulierosum, in quo Alcibiadis cachinnum dicitur sustinuisse.* Huc usque Cicero. Sed *Zopyri* arti *Socrates* subvenit, eam fassus sibi naturam esse, à se sic edomitam & compressam doctrinâ. Vid. *Stanl.* Hist. Phil. part. 3. in vit. *Socrat.* c. 14. Hinc porrò inferre promptum est, non quidem cum pulchro animo sæpe nasci deforme corpus, sed nasci potiùs cum animi pravâ indole, quæ aliquando educatione, studio, disciplinâ possit emendari.

(*q*) *Athen.* Dipnos. l. 13. c. 2.

(*r*) Ibid.

(*s*) P. *Zacch.* l. 8. tit. 1. quæst. medic. leg. 1.

(*t*) *Nutritur puer, non à muliere nutrice parùm honorificâ, verùm ab Eunuchis, iisque optimis, quibus & alia quæ spectant ad curam pueri demandantur, ac præcipuè ut natum quàm pulcherrimum reddant. Plat.* dial. *Alcib.* 1.

(*u*) Vid. *Lauremb.* lib. cit. c. 10.

(*x*) *Apul.* apol.

(*y*) Quanti olim æstimatus fuerit vultûs nitor, ostendere *Taliacotius* & ejus sectatores nituntur, exemplo Tiberii, à quo Medicum ingenti pecuniæ summâ remuneratum fuisse, curato lichene, faciem ejus infestante, narrant. Sed quâ auctoritate? Non Taciti, non Suetonii, non *Dionis Cassii*, non Aurelii victoris, non denique veterum Historicorum. Consentiunt omnes in facie Tiberii fuisse ulcera, tumores *subitos*, aut *subtiles*, aut *substilles* (quæ lectio eligenda sit, Critici viderint) sed de prædicto lichene ac de tantâ mercede verbum non proferunt. Immò illorum unanimi testimonio liquet ab illo Imperatore parvi ducta fuisse consilia Medicorum. Verùm Tiberii principatu medio, fœdissima lues, quam lichena, seu mentagram vocitaverunt, non plebis quidem, sed Procerum vultus in Italiâ invasit; testaturque Plinius *Manilium Cornutum ducent. sestert. elocasse in eo morbo curandum sese.* Hist. nat. l. 26. c. 1.

(*z*) *Si quis in metallum fuerit, pro criminum deprehensorum qualitate, damnatus, minimè in ejus facie scribatur, cùm & in manibus & in suris possit pœna damnationis unâ inscriptione comprehendi; quò facies, quæ est ad similitudinem pulchritudinis cælestis figurata, minimè maculetur*, Cod. c. de pœn.

(*aa*) Lucret. l. 5.

(*bb*) Sic censuit *Galenus* de us. part. l. 11. c. 13. Sic *Melet.* de nat. structurâque hom. Sic *Port.* l. 2. Physiogn. Sic Th. *Barth.* anat. l. 3. Sic Fortun. *Fidel.* de relat. Med. l. 2.

(*cc*) Horat. Art. Poet. agens de Statuario quodam partìm commendabili:

> *Hunc ego me, si quid componere curem,*
> *Non magis esse velim, quàm pravo vivere naso,*
> *Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.*

(*dd*) Hujus cautionis plura specimina exhibet Historia *Byzantina*. *Heraclii* & *Martinæ* filio *Heracleonæ* Senatus nares jussit amputari, nè venustatis illecebrâ populi suffragia compararet. Sic mutilatus fuit, ideò *Rhinotmetes* dictus, *Justinianus* II. jubente *Leontio*, qui simili modo paulòpost à Tiberio *Absimaro* tractatus est.

(*ee*) Talem fuisse apud Longobardos legem observat Fidel. l. cit.

duorum, naso. Hujus excisio tanquam pœna scelerum gravissima, prædicitur (*ff*) Oolibæ. (*gg*) Nasos parvos, grandes, intortos à Sacrario suo Deus jubet arceri; nec etiamnum ab eâ lege (*hh*) *Canones* abhorrent. Ex his omnibus cum *Taliacotio* (*ii*) inferre licet *nasum tantæ esse existimationis, ut ex ejus decore ornatuque summa Sacerdotia, amplissima Imperia & latissima Regna pendere videantur.* Itaque & plurima & maxima esse jam constat ad eam partem, quæ tanti momenti est, vel conservandam, vel restaurandam incitamenta. Cùm verò à naribus multum carnis ablatum est, (*kk*) regenerari non potest à naturâ; nec satis ad se possunt adduci labra vulneris, ut denuò coeant, quæ tota fuit industria (*ll*) Veterum, in curatione curtorum. Superest ergò ut nova sufficiatur ab arte substantia, quæ tristes ruinas coagmentatione sarciat; ac proindè nihil ab illâ debet operatione deterrere, dum ad eam & validissimis rationibus, & sanctissimis testimoniis ipsorum opificum firmata eventûs faustissimi spes invitat.

(*ff*) *Ezechiel.* c. 23. v. 25.
(*gg*) Levit. c. 21. v. 18.
(*hh*) Vid. P. *Zacch.* lib. & tit. cit. quæst. 8. *Low*, theat. med. jurid. c. 10. f. 8. & Antonin. *Mongitorem* in annotat. ad Vinc. *Auriæ* librum, cui titulus: *La Sicilia Inventrice*; à quibus omnibus passim allegantur *Canonistæ* de hâc irregularitate consentientes.
(*ii*) Chir. curt. c. 5.
(*kk*) *Gal.* method med. l. 14. c. 18.
(*ll*) Scilicet *Galeni* loc. cit. & *Celsi*, l. 7. c. 9. *Æginæta* quippe de auribus & labiis agit, iisdem ferè verbis, l. 6. c. 26. minimè verò de naribus.

III.

NARES, vel ab origine curtæ sunt, vel interiori aliquo veneno corrumpuntur, vel instrumento, casu, ictu, cæduntur, lacerantur, avelluntur. Curtis à nativitate, ante pueritiam, succurrere non licet. Si lues intùs latitans noxam intulit, extingui penitùs illa debet, priùsquàm possit jactura sarciri. Nisi ætas, corporis habitus, morbus, inclementia tempestatis, aut simile quid obstet, vulneratis quantocyùs adhibenda manus est; non quòd sit in morâ periculum, sed quòd tanta deformitas quàm minimè sit protrahenda. Ergò accingamur ad opus. Æger venæ-sectione & purgatione, cibo tenui, diluente potu, ritè præparetur. Seligatur dies locusque maximè lucidus; nec desit sereni cœli aerisque temperati benignitas. Decumbat læsus adverso lumine, capite nonnihil erecto. (*a*) Brachium quod voluerit operationi committere, fotu adstringente priùs munitum, non plumeo, sed (*b*) laneo pulvino, manu ferè supinâ, imponatur, firmiterque contineatur à ministris. Cutem, cui subest musculus biceps, digitis aliquandiù palpet Chirurgus, sursùm deorsùmque & hinc indè à lateribus trahendo ac retrahendo, ut ea laxior aliquantò & à subjectis nexibus expeditior fiat. Præsto sit forceps, cujus alæ, manubrio ductiles, arcuatæ sint, & utrimque limbo instructæ complanato, quatuor aut quinque digitos longo, unum circiter alto, intùs mediocriter lævigato; in cujus imâ parte rima sit, per totam ferè utriusque limbi longitudinem excurrens. Cutis, quo dictum est modo, contrectata, digitis fortiùs retrahatur a musculo, eâ latitudine, quam sartura faciendâ requirere videbitur; forcipe prehendatur, punctimque per rimam adacto transfigatur scapello ancipiti, ad utrumque rimæ extremum cæsim ducendo. Hic, sectione factâ, eximatur: linteum valdè tritum ac molle, suâ latitudine, incisionis longitudini ad unguem respondens inducatur: forcipe remoto, laxetur cutis: & ea propago est, quæ jam educanda & ad maturitatem perducenda venit. Refrigerantibus, adstringentibus, sanguinis denique & humorum fluxioni obsistentibus, quibus jam linteum, antequàm immitteretur, imbutum est, foveatur vulnus, deligetur & curetur, ad absolutam usque suppurationem. Hac peractâ, & vulnere propemodùm siccato, (*c*) secundam licet moliri sectionem, quâ propaginis superior pars à brachio sejungatur. Eâ commodissimè fiet, immisso subter propaginis apicem vaginato illo & *elastico* scalpello, cujus utilitatem ad annulos musculorum dilatandos, in ramicum curatione, temerè jactitaverunt, sed quo in φιμώσεως sectione convenientiùs utuntur. Quatuor jam medicanda patent vulnera: duo vetera, nempè area in brachio nudata, & propaginis interior facies; quæ ita curandæ sunt, ut illi novum tegumentum, huic verò callus increscat: duo recentia, pariter ad cicatricem, aut callum perducenda, nimirùm superior margo propaginis, & locus unde fuit excisus. (*d*) Quibus peractis, insitioni locus erit. Curtæ itaque

(*a*) Apud *Fienum* lib. Chir. 12. eligitur lævum, sed delectus ille pro ægrotantis arbitrio & commodo mutari debet.
(*b*) Quo & fulciatur firmiùs, & minùs incalescat.
(*c*) Animadvertunt nonnulli & frustra & perperàm, duodecim quindecimve diebus interpositis, secundam hanc sectionem à primâ distare. Quâ in opinione fuisse Cl. *Renealmum* nostrum declarat Historia Regiæ Scientiarum Academiæ, ad an. 1719. Quidni, inquiunt, uno die, unâque operatione ambæ fiant sectiones? Sic enim & brevior esset cruciatus, & jactura temporis minor. Insuper, cute reclinatâ, & areâ nudatâ, quæ utriusque vulneri supervenire solent symptomata, faciliùs certiùsque sedarentur. Hæc videntur primo intuitu magni ponderis argumenta, sed consideratâ cutis naturâ, vanescunt. Ista enim post sectionem sui juris facta, repentè contraheretur & crispareturr, quo debitam, pro parte sarciendâ, magnitudinem amitteret, nutriri minùs apta marcesceret, inflammatione & gangrænâ citò consumeretur, delusâ tùm artificis, tùm patientis expectatione. Dum verò utrimque retinetur, uberiùs nutrita, crassitiem eam adipiscitur ac firmitudinem, quâ postmodùm queat à periculosâ contractione vindicari.
(*d*) Potiori forsan jure secundum istud intervallum carperent brevitatis amatores, postularentque ut à brachio resecissus propaginis apex cum naribus illicò fuere-

nares ſcalpello ſecùs cicatricem ducto incidantur ; ad hujus inciſionis ambitum propago accuratè figuretur, reſecto quod in ejus oris vel calloſum fuerit, vel menſuram exceſſerit. Ad brachium caput ſic admoveatur, ut flexurâ cubiti ad altitudinem ſuperciliorum elatâ, capitis verticem vola manûs, digitus medius ſuturæ *ſagittalis* cum *lambdoide* commiſſuram attingat. Dum hoc in ſitu brachium continetur, ad ſulcum recèns naribus impreſſum adducatur margo propaginis, & conſuatur, totuplici acuum curvarum trajectu, quot punctus exiget vulneris amplitudo. Sutura convenientibus linamentis & medicamentis, ſecundùm artem, muniatur, & quo dictum eſt poſitu, brachium cum capite, axillis & pectore deligetur, immotumque ſervetur. Quinto, ſexto, aut ſeptimo die, ſolvenda ſutura eſt, & expectanda partium commiſſarum firma & abſoluta coagmentatio. Ubi res eò devenit, ut ab ipſis, quibus inſita eſt, naribus nutrimentum queat capere propago, hujus amputanda radix, & vinculis brachium liberandum eſt. Jam naſo pendet rudis adhuc informiſque lacinia, nunquam interrupto demulcenda fotu, & ſolo novi hoſpitii commeatu nutrienda. Interim ejus interiora magis ac magis exiccare & ſolidare, radicique reſectæ ſuppurationem & callum inducere oportet: tum naſi globulum, foramina & columnam delineate ac ſectione multiplici fingere; hæc vulnera curare, columnam inſerere & conſuere ; iis omnibus tandem genuinam naſi formam, tubulis intùs inditis, tectorioque primùm plumbeo, mox argenteo, vel aureo, extrinſecùs adhibito, conciliare. Quo dierum numero hujuſce operationis partes omnes abſolvantur, definiri vix poteſt. (*e*) Sunt enim permulta, quæ curationem contrahere poſſunt, vel ptoducere. Rarò tamen, ante ſexageſimum diem, tantum opus coronidem obtinebit; rariùs ultrà octogeſimum excurret. Sat citò, ſi ſat benè. Unum liquet, quod in re præcipuum eſt, ſcilicet in expoſitâ operatione nihil eſſe rationi non conſonum ; mox patebit nihil eſſe ab experiſſimis viris intentatum, nihil ab iiſdem non perfectum.

retur. Nec tamen hoc eis tutò concedi poteſt. Nam 1°. periculum eſſet ne plura ſimul inflicta vulnera turbas graviſſimas excitarent. 2°. Locus à præciſo apice relictus, minùs commodè curaretur. 3°. Poſt hujus apicis reſectionem ; novâ cum ſedulitate propago educanda eſt & parciori alimento aſſuefacienda, blando fotu ſæpè recreanda, (ne vitalis in eâ calor extinguatur) explicanda, componenda, & molliter ſic devincienda, ut neque nimiùm ſoluta, retrahatur, neque plus æquo adſtricta, pabulo fraudetur & contabeſcat. Porrò hæc omnia poſt inſitionem fieri nequeunt.

(*e*) *Hæmorrhagia*, convulſio, febris, inflammatio, gangræna, vigiliæ, animi deliquia, præcipua ſunt, quæ toto negotii decurſu accidunt, ſymptomata. Horum plura vel pauciora ingruunt, plus minùſve ſæviunt, citiùs vel tardiùs profligantur, faciendarum proindè ſectionum intervalla magis vel minùs producunt. Quæ omnia ſigillatim excutere Scholaſtici programmatis anguſtiæ vetant. His preſſi limitibus, alia multa præterimus, quæ ſtrictiſſimam habent cum opere agendo connexionem : ſcilicet variæ remediorum ſpecies, pro variis operationis partibus ac temporibus, necnon pro diverſâ ſymptomatum cohorte, indole, ferociâ, pertinaciâ, in uſum, ſive interiorem, ſive exteriorem vocandæ ; victûs ratio ; inſtrumenta ; faſciæ ; modus globuli figurandi, aperiendorum foraminum, delineandæ, inſerendæ & ſuendæ columnæ, totius demùm naſi ad naturalem effigiem conformandi. Ea verò partim ex aliis Chirurgiæ operationibus intelligi poſſunt, partim ex *Taliacotii*, *Corteſii*, *Fienique* ſcriptis facilè depromi. Eò uſque ſolummodò artificium evolvere nobis animus eſt, ut naſorum inſititiorum fabrica & ſummatim exhibeatur, & fictitia minimè judicetur.

IV.

QUOD dè arborum inſitionibus ab Oratore (*a*) Romano ſcriptum eſt, id ipſum meritò dixerimus de arte per inſitionem curta reparante. Congruenter iſta comparari quis neget ? Similem utroque in opere natura virtutem exercet, actionem edit unam. Varia inſitionum genera prætermittimus: unum tantùm ſeligimus, quod vitis cultoribus potiſſimùm familiare eſt (*b*). Vitis lentus & obſequens palmes vicinum in truncum flectitur. Illum hic recipit, vel facto foramine, vel deraſo cortice. Ambo colligati coaleſcunt. Nativo tunc palmes orbatur impunè pabulo, novæque creditus matri, frondet, floret, fructus edit. Videlicet à radice per truncum aſcendens humor, pattim ſuo glutine contiguas connexuit fibrillas, partim adoptivi ramuli pervios tubulos ſubivit, explicavit, fœcundavit. Quidni contingerent eadem in vivo hominis corpore, in quo fibrarum jungendarum ſubſtantia mollior, diducendorum parietum flexibilior textura, diametri pervadendorum meatuum longiores, humoris introducendi major copia, calor intenſior, vividior motus ? Quin & præter oleam & ficum, de quibus Columella, diverſæ omninò indolis ac ſubſtantiæ arbores coeunt, hac naturæ operatione.

(*c*) *Et ſteriles platani malos geſsêre valentes ;*
Caſtaneæ fagos ; Ornuſque incanuit albo
Flore pyri, glandèmque ſues fregêre ſub ulmis.

(*a*) *Nec conſitiones modò delectant, ſed etiam inſitiones, quibus nihil invenit agricultura ſolertius.* Cic. de Senect.

(*b*) Columella tamen excogitavit oleæ fico ſimiliter inſerendæ methodum, quam nitidiſſimè deſcribit Plinius, nat. hiſt. l. 17. c. 19. Ea ipſa inſitio eſt, quæ *Ablactatio* non malè vocitatur, metaphorâ ductâ ab infantibus lactentibus, qui à mammis removentur.

(*c*) Virg. Georg. 2.

Jucundiſſimo illo ſpectaculo noſtris quotidie fruimur in hortis. Nata ferendis amygdalis arbor, naturam ſubigente artis imperio, pruna, aut Perſica mala gerit:

(d) Miraturque novas frondes & non ſua poma.

Nonne faciliùs conjungi poſſunt ejuſdem animalis ejuſdemque generis partes? Jam ut recenſendis agriculturæ miraculis ſuperſedeamus; quot rerum disjunctarum, & ſæpè magis diſſimilium, numerare licet coagmentationes! Avulſi dentes reponuntur, priſtinamque ſtabilitatem in alveolis recuperant. *(e)* Gallorum calcaria, eorumdem capitibus implantata, creſcunt. In utero gemelli, *(f)* oppoſitis frontibus colliſi, monſtroſum ineunt fœdus. Cutis verò brachii narium cuti non poſſet adhærere? *(g)* Leporina recèns natorum labia, conſuto pulli fruſtulò, pleræque matres, in regione ſeptentrionali, ſarcire conſueverunt. *(h)* Caro vervecina, humani lateris ampliſſimo injecta vulneri, coaluit, inductâque cicatrice, hiatum implevit. Quæ fides hiſce obſervationibus, ſi nulla noſtræ operationi? *(i)* Muſcus à cete dorſo: * ab apiculæ capite floſculorum corolla: * ſericum à vulnerati ſupercilii cicatrice: * à paſtoris pectore *prunulus*: demùm *(k)* à tellure, inſtar plantæ, bubulum cornu; inſtar membri animalis, *(l)* à cervi cornibus hedera ducit alimentum. Ducere non poterit caro ab ejuſdem corporis carne? *(m)* An denique aliâ ratione ſingulorum vulnerum oræ coaleſcunt? His procul dubio rationibus, convenientiis & proportionibus adducti ſunt optimæ notæ Medici complures, ut quam propoſuimus operationem feliciter ſuccedere poſſe judicarent, quamvis ejus exequendæ modum non ſatis intelligerent. Hujus numeri ſunt *(n)* Alex. *Benedictus*, *(o) Veſalius* & *(p) Pareus*. Primus educendæ propaginis locum & materiam non malè quidem deſignavit, ſed ejus ſecandæ rationem aut non apprimè calluit, aut parum luculenter expreſſit. *Veſa'ius* verò & *Pareus* totâ viâ erraverunt; ille non bicipitis muſculi cutem, ſed muſculum ipsum ſecando; hic non educendo propaginem naribus inſerendam, ſed profundum eâdem in carne cavando vulnus, in iſtud curtas demergendo nares, factâque conglutinatione, circumcidendo quantum fingendi naſi moles exigebat. Nec multò rectiùs *(q)* Hier. *Fabricius* ab Aquap. quanquàm à celeberrimo hujus artis magiſtro, *Taliacotio*, & patriâ & vivendi, florendi ſcribendique tempore parùm diſtans, operationem orditur à narium ſcarificatione, tranſitque ad inciſionem cutis traducendæ. Cæteros omittimus, qui de Chirurgico illo artificio, vel obſcurè, vel obiter, vel minùs peritè ſcripſerunt. Satis eſt eorum principes indigitaviſſe, qui famâ potiùs & ratione, quàm experientiâ ducti, hanc-ce Chirurgiam ſuo ſuffragio decoraverunt. Nunc ipſos proferamus artifices, qui nobis eandem, incredibili ſtudio excultam, improbo labore caſtigatam, repetitis denique tentaminibus & experimentis ſtabilitam abſolutamque tradiderunt.

(*d*) Ibid.

(*e*) Muſeum *Wormianum* l. 3. c. 18. profert caponis cornu, novem uncias longum, cujus generationem his verbis explicat. *Cùm*, inquit Auctor, *caſtrantur galli, criſtam abſcindere ſolent & calcaria, atque hæc vulneri abſciſſæ criſtæ ita indere, ut adhæreant, ac ita paulatim incrementa ſumant, corneam prorsùs induentia naturam.*

(*f*) Monſtra illa indè naſci contendit *Licetus*, l. 2. c. 20. quòd gemellæ frontes, poſtquam materno corporis concuſſu colliſæ & excoriatæ fuerunt, ſeſe mutuò contingant, jugiterque creſcentes, interveniente ſanguinis glutine, coaleſcant. Ad noſtri verò problematis illuſtrationem eo ſanè uti licet exemplo, cùm *Licetus* narium inſitione ſuam de monſtroſâ capitum cohærentiâ ſententiam confirmet.

(*g*) *Olaus* magn. hiſt gent. ſept. l. 18. c. 11.

(*h*) Quidam navarchus tam graviter in *hypochondrio* fuit ſauciatus, ut per lacunam palpitantia viſcera cernerentur. Fortè ad manus erat caro vervecina, quâ fartum ſanatumque vulnus fuit, Th. *Barth.* cent. 6. hiſt. anat. 59.

(*i*) Si vera narrant navigatores, nonnunquam cete dorſo ſic muſcoſo, mediis in fluctibus eminente, & parvam inſulam mentiente, deluſi ſunt.

*** *Borell.* cent. 1. obſ. 10. ibidem aſſerit hominis variorumque animalium cuti nonnihil abraſæ ſic poſſe immitti ſemina, ut ea radices agant vivaceſque cauliculos, non ſecùs ac ſi terræ fuiſſent mandata; quod luculenter exprimit *Maſſac.* de lymph. Pug. l. 2.

Humano, mirum! viguere in corpore plantæ.

(*k*) *Borell.* cent. 4. obſ. 52.

(*l*) *Ariſtot.* hiſt. anim. l. 9. c. 5.

(*m*) Fatendum quidem eſt inter cutem narium & cutem brachii aliquid eſſe diſcriminis; at quidquid dixerint Veteres de diverſis partium temperamentis, tanta nunquam fingi poteſt ea diſſimilitudo, ut unam cum aliâ, aut viciniore, aut remotiore conſociari prohibeat.

(*n*) Anat. l. 4. c. 39.

(*o*) Chir. magn. l. 3. c. 9.

(*p*) L. 23. c. 2.

(*q*) Pentat. Chir. App. l. 2.

V.

VULGATISSIMA eſt *(a) Calentii* ad *Orpianum* epiſtola, quâ *Brance (b)* Siculus in Chirurgiâ nares inſerente verſatiſſimus perhibetur. Cum eâ non tantum conſentit *(c)* auctor *(d)* annalium Mundi, qui Panormi, in Bibliothecâ RR. PP. è ſancti *Dominici* familiâ, manu-

(*a*) Extant *Eliſii Calentii Amphratenſis Epiſtolæ breves*, quas inter iſta reperitur, à paucis apud ipſum Auctorem lecta, paſſim tamen à plurimis tranſcripta, ex *Gourmeleno*, qui primus eam protulit. His conſtat verbis: *Orpiane, ſi tibi naſum reſtitui vis, ad me veni. Profectò res eſt apud homines mira: Branca Siculus, ingenio vir egregio, didicit nares inſerere, quas vel de bracchio reficit, vel de ſervis mutuatas impingit. Hoc ubi vidi, decrevi ad te ſcribere, nihil exiſtimans charius eſſe poſſe. Quòd ſi veneris, ſcito te domum cum grandi quantumvis naſo rediturum. Vale,*

(*b*) Cataneum illum dicit Bapt. *de Groſſis*. decachord. Catan. chord. 9. mod. 11.

(*c*) Petr. *Ranzanus*, Luceræ Epiſcopus, Annal. mund. to. 8. ad an. 1442.

(*d*) Hos annales nec vidimus ipſi, nec fortaſſe unquam videbimus, ſed ex iis excerptum hunc locum du-

ſcripti ſervantur; ſed *Brancam* etiam illius artis inventorem declarat. (*e*) *Brancæ* diſcipulus habetur Balthaſar *Pavonus*; (*f*) daturque huic ſucceſſor *Taliacotius*. Sed majorem meretur fidem (*g*) *Cortefius*, quià (*h*) *Boianus* artem illam ad *Taliacotium* perveniſſe (*i*) teſtatur. Conſtat enim Tropææ in Calabriâ fuiſſe hujus nominis familiam, in quâ reſtituendi naſi methodum, hæreditatiam veluti doctrinam, filii à parentibus accipiebant, hæcque idcircò (*k*) *magia Tropeenſium* dicta eſt. Attamen *Taliacotius* nec *Brancam*, niſi ex *Gourmeleno*, cognoſcere videtur; nec *Boianus*, nec *Pavonum*, nec alium quemquam nominat, à quo fuerit edoctus. Paſſim aſſeveret à nemine, quem noverit, reparandorum curtorum artem, qualem ipſe profitetur, vel ſcriptam vel traditam fuiſſe, ſibique gloriam arrogat primi hac in Chirurgiâ præceptoris. Quæ ut vaneſcat teſtimoniorum repugnantia, hæc præcipua *Taliacotio* tribuenda laus eſt, quòd à Tropeienſibus, aut Catanenſibus, acceptam artem hanc, mancam adhuc & rudem, novis inventis adornaverit, opere ipſo multoties ſuſcepto, perfecerit, ſcriptis eximiis illuſtraverit, mitiorem, utiliorem tutioremque poſteris tranſmiſerit. (*l*) Ejus peritiam & methodum ſummis extulerunt laudibus optimiſque ſcriptis expoſuerunt, inter cæteros, laudatus (*m*) *Corteſius* & (*n*) *Fienus*; opere autem ipſo alii coævi comparaverunt. Dum enim ille Bononiæ naſis reſtituendis operam navabat, idem præſtabant (*o*) *Ulmus*, in agro Brixiano, & Lauſannæ (*p*) *Griffonius*. Quos ſequutus (*q*) *Molinettus*, Antonii pater, & maximâ cum exiſtimatione imitatus eſt. Rectam æquatamque monſtrantibus viam tot ac tantis ducibus, quis metus aberrandi? At vel ſolâ brachii ad caput alligatione cruciatus, tædio ac dolore priùs æger enecabitur, quàm ſit abſoluta curatio? Apage puſillanimitatis dicterium, naturæ viribus injurioſum. Tanta illa, quæ terret, mali acerbitas, altero die levatur, tertio propemodùm deletur.

(*r*) *Quod malè fers, adſueſce; feres benè: multa vetuſtas*
Lenit.

Magis placeat aliis traducem cutem ab empto mancipio decerpi. Silemus incommodum à *Campanellâ* (*ſ*) & *Helmontio* (*t*) memoratum. (*u*) Subtiliores phyſicorum arcanorum inquiſitores ſympathiæ virtute illud explicare conentur. Fabuloſum dicant minùs creduli judices. (*x*) Admiſſis hiſtoriis & rejectâ ſympathiâ, (*y*) conciliatores fortuitas cauſas accuſent. Parùm ad nos. His enim diſputationibus neglectis, conſtat ægrum proprii brachii multò minùs, quàm alieni corporis colligatione vexari, ac de futuræ conſtantiâ periclitari. Ingentis apparatûs ac molimminis inutilitatem indè arguant cæteri, quòd naſum ita reſtitutum nec tractare deinceps, nec emungere liceat, prohibente metu ne coagmentatio ſolvatur. Hunc revera ſcrupulum incuſſit (*z*) *Viſalius*. Verùm ad curationis initium tantummodò reſpexit. E memoriâ nunquam excidat arborum inſitarum conditio.

ximus ab Ant. *Mongitoris* jamcitatis obſervationibus: *Claret quoque per hæc tempora Branca Siculus, Chirurgorum omnium, qui toto orbe ſunt, præſtantiſſimus. Is invenit in eâ arte quædam admiratione digna, & fere incredibilia. Excogitavit enim modum, quo mutilatos naſos reformaret ac ſuppleret. Cujus filius Antonius pulcherrimo patris invento non parum adjecit.*

(*e*) Vid. Gilb. *Cognat* Nozeten. l. 3. narrat.

(*f*) Vid. *Garman.* de mirac. mort. l. 1. tit. 2.

(*g*) Nemo ſanè de *Taliacotio* ſcribere certiùs potuit, quàm *Corteſius*, qui ejuſdem ætatis erat, uno tantùm anno junior, in eâdem urbe natus, & ejus in ampliſſimo Bononienſium Profeſſorum ordine collega.

(*h*) Qui norunt corrupriones & analogias nominum, judicent an ejuſdem familiæ fuerit Pet. *Vioneus*, de quo hæc *Vghelli*, Ital. Sacr. to. 9. ubi agit de Tropæâ: *Hinc nuper fuit Pet. Vioneus, Chirurgus, qui labia & naſos mutilos integritate donavit.*

(*i*) Miſcell. med. decad. 3.

(*k*) *Campanell.* de ſenſ. rer. & mag. l. 4. c. 11.

(*l*) Tandem quidquid incerti de hujus Chirurgiæ origine & traditione remaneat, unum ſaltem ratum & incuſſum eſt; nempè à *Taliacotio Brancam* non eruditum fuiſſe; idque dubium à laudato *Renealmo* noſtro, parum conſideratè relinqui: cùm *Branca* centum & ampliùs annis *Taliacotii* nativitatem præceſſerit.

(*m*) l. cit.

(*n*) l. cit.

(*o*) Vid. Phyſiolog. barb hum. ſ. 3. c. 22. ubi *Ulmus* deſcribit hanc à ſe factam, ſæviente licet frigore, operationem & *Taliacotio* communicatam.

(*p*) *Anno* 1590, *cùm Dux Sabaudiæ Genevenſibus bellum inferret, incidit in manus militum puella quædam caſta ac pia; quam cùm ſtuprare fruſtrà tentaſſent, atque hâc de re maximâ irâ perciti eſſent, naſum illi abſciderunt. Poſt annos duos, venit Lauſannam, ubi tunc degebat* D. Jo. Griffonius..... *Qui cùm ipſam curandam & naſum reſtituendum ſuſcepiſſet, ita ſatisfecit promiſſis, ut, maximâ cum admiratione omnium, ipſum artificialem & factitium eſſe vix appareret..... Ex cujuſdam peregrini Itali, Lauſannam tranſeuntis, & à* D. Taliacotio *curati relatione, nonnulla primordia habuerat: reliqua, ſuâ induſtriâ, etiamſi talibus operationibus nunquam interfuiſſet, nec ſcripta* D. Taliacotii *hâc de operatione extitiſſent, perfecit. idque eo planè modo, quemadmodum* D. Taliacotius *ipſe deſcribit. Fabric.* Hild. cent. 3. obſ. chir. 31.

(*q*) Vid. Henr. à *Moinich.* obſ. 23.

(*r*) Ovid. l. cit.

(*ſ*) Loc. cit. narrat *Campanella* Neapolitano cuidam, ex conducti ſervi brachio, naſum fuiſſe reſtitutum. *Sed poſt tres annos*, pergit ille, *ſervus mortuus eſt..... Et ſimul particula naſi cæpit languere, & mortua eſt, & computruit, eodem tempore & ordine, quo ſervus.*

(*t*) Mutatis quibuſdam circumſtantiis, eandem refert hiſtoriam, aut fabulam, *Helmontius*, Tr. de magnet. vuln. curat. Sed earum & ſimilium narrationum veritas vel hoc uno æſtimetur argumento. Scribit *Helmontius* eum naſum fuiſſe reparatum à *Taliacotio*, qui deſtinatam reficiendis naribus propaginem ex alieno corpore nunquam eduxit; nec vidit, nec audivit fuiſſe id operis à quopiam artifice præſtitum, ut ipſe teſtatur, Chir. curt. l. 1. c. 18.

(*u*) *Campanella*, *Digbæus*, *Rattrays*.

(*x*) Quos inter eminet *Kircher.*

(*y*) *Conringius*, *Deuſingius*, &c.

(*z*) loc. cit.

(aa) Dum novus in viridi coaleſcit cortice ramus,
Concutiat tenerum quælibet aura, cadet.
Mox eadem ventis, ſpatio durata, reſiſtet,
Firmaque adoptivas arbor habebit opes.

Naſorum inſitorum parem ſortem eſſe qui non ſatis intellexerit ex Naſone, diſcat ex (*bb*) *Muſitano*. An exurgent, quibus videatur mercede conducendum eſſe mancipium, cui præcidatur naſus, curto ſtatim adſuendus? (*cc*) Non ibimus inficias. Naſos emant, ſed quærant venditores. Denique, ſi urgeamur, ultrò concedemus nihil ſatius eſſe, quàm naſum ipſum, recèns abſciſſum, loco ſuo reponi, & vel firmari ſuturâ, vel naturæ copulatrici creditum devinciri. Non negamus iſtud curationis genus (*dd*) pluribus probari obſervationibus. Harum auctores neque ridemus, cum (*ee*) cavillatoribus; neque, cum (*ff*) cenſoribus auſteris, inſimulamus mendacii. At ſcimus rariſſimè præſto eſſe, rariùs agglutinationi aptum reperiri quod ictu violento à naribus abſtractum eſt. Itaque ſpes una ſupereſt; unus, in quem confugiatur, portus, à nobis indicatus. Quid expaveſcitis? Quid moramini, qui caretis naſo, cùm ſpontè in munitiſſimum illud & paratum curtis perfugium ſeſe receperint, (*gg*) qui naſum non recuperare perditum, ſed aliquibus tuberculis deturpatum cum pulchriori commutare voluerunt? Macti eſtote, & rationibus, auctoritatibus, experimentis, tanquam triplici ære, obfirmati, nobis acclamate concludentibus:

Ergò curtæ nares ex brachio reficiendæ.

(*aa*) Ovid. l. cit.

(*bb*) *Hic naſus, ex proprii brachii carne efformatus, ita unum cum reliquo fit, & tenaciter naturæ glutine ei adhæret, ut nullâ vi extirpari poſſit, non aliter ac ſi proprius eſſet. Undè quidam nobilis vir, cui in monomachiâ cùm naſus amputatus fuiſſet, & ex propriâ carne eum aſſequutus, verebatur nares emungere, ne naſum avèlleret..... Quâ re cognitâ..... Chirurgus, apprehenſo illius naſo, per totam domum eum diſtraxit & dimiſit.* Muſit. de vuln. c. 47.

(*cc*) Talis operationis profert ſpecimen Zodiac. Gall. an. 2. ſed de rei veritate auctor ipſe dubitat.

(*dd*) Vid. *Arcæum*. de rect. cur. vuln. rat. l. 1. c. 7. Zodiac. Gall. loc. cit. & Erudit. Diar. ann. 1731, menſ. Aug. ubi refertur hiſtoria militis cujuſdam, longè felicioris eo pugile, qui naſum ſibi gladio amputatum non ſtatim animadvertit; eum verò, candelæ favente lumine, magnâ ſollicitudine quæſitum ac tandem repertum Chirurgus repoſuit, ſed fruſtraneo conatu. *Hagendorn*. cent. 1. hiſt. 63.

(*ee*) Citata opera qui legerit, eos agnoſcet.

(*ff*) Inter hos acerrimum ſe præbet D. *LoW*. l. c. n. 19.

(*gg*) Vid. *Bacon*. hiſt. vit. & mort.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Benjamin-Ludovicus Lucas de Laurembert.	*M. Ludovicus-Guillelmus le Monnier.*	*M. Joannes-Franciſcus Leaulté.*
M. Leander Peaget.	*M. Joannes Baptiſta Dubois, Actûs Præſes.*	*M. Jacobus-Antonius Millet.*
M. Ludovicus-Alexander Vieillard.	*M. Guillelmus-Joſephus de l'Epine.*	*M. Michaël Peaget.*

Proponebat Pariſiis URBANUS DE VANDENESSE, Pariſinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1742, à ſextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.